Quelle:
Copyright:

genſis obiit 1364. Plura huc pertinentia dant Hageccius in Chron: Bohem: ad ann: 1343. et Balbinus in Miscellan: histor: Bohem: Decad: I. lib: VI. part: II. pag. 42 ex Crugerio.

5.

S: Joanis Chrysost. Sermonis fragmentum.

111a–111b

Fragmentum Sermonis S: Joan: Chrysostomi cum rubrica: "Sermo Crisostomi legitur per Domadam LXXe in matutinis feria secunda". Incipit: "Dignitas humane originis facile agnoscitur considerata sublimitate auctoris." Procul dubio decerptum ex homiliis in Genesin.

6

S: Fulgentii Cris: Ruspens: liber de fide ad Petrum.

115a–124b

S: Fulgentii Episcopi Ruspensis liber de Fide ad Petrum, seu de regula vere fidei. Codexquidem noster rubricam exhibet sequentem: "Incipit liber S. Augustini de Regula vere fidei ad petrum Diaconum"; sed falsum esse ostenderunt editores Mauriani in Opp: Sti Augustini Tom: VI. in Append: col 18. eiusdem et Editor: Opp: S: Fulgentii Venet: 1742. Fol. p: 226. et alii librorum censores, qui uno ore Fulgentio praesentem tractatum adjudicant. Prologus incipit: "Epistolam sancti petri tue caritatis accepi." Duo hic notanda veniunt, primum; nomen Diaconi in epigraphe esse secundum; longe enim alius est hic Petrus a Diacono cui Fulgentius librum de Incarnatione inscripsit: alterum; caput ultimum codicis nostri, nempe XLV. non esse S. Fulgentii, sed alterius ignoti; quae omnia praedictas editiones consulenti clarius patefient.